

ADNOTATIONES AD SEPTEM ADVERSUS THEBAS.

Nomen huic tragoediae in plerisque codicibus et in editionibus antiquis est *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις*, et sic apud Clementem Alex. Strom. I. p. 401. ed. Ox. Iustinum in Quaest. et resp. ad orthodoxos qu. 146. Tzetam Chil. IV. v. 983. *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας* vocatur in nonnullis codicibus, ut in Mediceo et Lipsiensi, in didascaliam quam codex Mediceus servavit, ab Aristophane in Ranis v. 1021. et, qui ad Aristophanis versum respicit, a Plutarcho Quaest. sympos. VII. 10. p. 715. E. apud quem Böttigerus in libello de personis Furiarum legere sibi visus est de quibus ille numquam cogitavit; tum ab Athenaeo I. p. 27. A. et in codice Parisiensi Longini cap. XV. nam vulgo ibi *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις* legitur. Eustathius ad Hom. p. 146, 10. μάχιμος ἢ λέξις τοῦ ἐπανίστασθαι καὶ τῆς ἐπανάστασεως, τῆς ἐπὶ προθέσεως τὸ κατὰ δηλούσης, ὡς καὶ ἐν τῷ “ἦκεις ἐφ’ ἡμᾶς” παρ’ Εὐριπίδῃ, καὶ “Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας” παρ’ Αἰσχύλῳ, ἡγουν κατὰ Θηβῶν. Idem eadem p. 809, 36. aliis verbis repetit. Duces isti *ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας* dici solent, ut apud Aristotelem Metaph. XII. 6. Diodorum Siculum IV. 65. 66. scholiastam Euripidis ad Phoen. v. 1377. In codice Guelferbyitano et quibusdam aliis nomen huic tragoediae impositum est *Ἐτεοκλήης*. V. Harlesium Bibl. Gr. vol. II. p. 174. Ceterum Stanleius merito in dubitationem vocavit haec Pausaniae II. 20, 5. τούτους τοὺς ἄνδρας ἐς μόνων ἑπτὰ ἀριθμὸν κατήγαγεν Αἰσχύλος πλειόνων ἕκ τε Ἀργεῶν ἡγεμόνων καὶ Μεσσηνῆς καὶ τινῶν καὶ Ἀρκάδων στρατευσαμένων. Sed hic quum statim addat τούτων δὲ τῶν ἑπτὰ (ἐπηκολουθήκασιν γὰρ καὶ Ἀργεῖοι τῇ Αἰσχύλου ποιήσει) πλησίον κεῖνται καὶ οἱ τὰς Θήβας ἐλόντες, ipse se refutare videtur. Neque enim ab Aeschilo accepisse Argivos istam famam credibile est, sed multo prius ita traditum fuisse, numero ad oppugnatas septem Thebarum portas accommodato.

Personarum index in M. Lips. hic est, *Ἐτεοκλήης. ἀντιγόνη. ἄγγελος κατάσκοπος. Ἰσμήνη. χορὸς παρθένων. κῆρυξ.* In Vit. *Ἐτεοκλήης. ἄγγελος κατάσκοπος. χορὸς παρθένων. κῆρυξ. ἀντιγόνη. Ἰσμήνη.*